



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum
festiuitatibus habitae

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII

De Christi venditione Theo. II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

DE CHRISTI VENDITIONE. Theorema II.

ARGVMENTVM.

Ille qui maximè omnium est fidelissimus, imò fidelitas ipsa proditur ac venditur in mortem à suo, coque domestico ac discipulo: emitur verò ab his interficiendus, quibus præcipuè fidelitatis signa exhibuerat atque beneficia.

IESU FIDELITAS ERGA GENUS HUMANVM. *Concio II.*

Prima huius argumenti pars, quæ est, Christum esse fidelissimum (neque enim alium hic, quam Christum loquimur) tum faciliè omnibus erit manifesta, cum quantam in hos proditores fidelitatem Christus locauerit, expenderit. Adeò namque fidelis est Christus, vt genus humanum etiam vniuersum à crimine eripere cuperet læsæ maiestatis, prodicionisq; diuinæ: quod olim consentiendo diuinæ maiestatis hosti, proditori q; diabolo, commiserat, Dei transgrediens mandatum: quamobrem innumeris certè malis, atque æternæ sese morti fecerat obnoxium. Adeò inquam est fidelis Christus, vt pro eodem genere humano in se paratus esset Dei patris iram vltionemq; suscipere, proditores illos indemnes atq; innoxios reddere, ad satisfaciendum pro illis se exponere, illos à morte malisq; omnibus liberare, se morti pœnisq; omnibus tradere. Hanc itaque fidelitatem fidelissimus ipse Iesus dum ingratiss ac infidelibus meditatur exhibere, illi ediuerso studiosè eius comparant, emunt, venduntq; innocentiam in mortem. Et quid dico quod illos à crimine læsæ diuinæ maiestatis, malisq; omnibus cuperet eripere, quando interea non solum hoc voluit, sed quod voluit, etiam perfecit? Nequaquam enim eorum offensum vel paruitate, vel ingratitude, quicquam quod vel ad vnus, vel ad vniuersorum pertineret salutem, intermisit: sed omnia in redemptione & illorum & nostram, quicquid sibi machinabantur mali, conuertit: adeoq; fidelis post infestam quoq; sibi mortem perseuerauit, vt illis nihilo secius qui mortem sibi intulerant, quam alijs potestatem daret filios Dei fieri, ciues quoq; ac domesticos regni sui cœlestis ac cohæredes. Hanc fidelitatem etsi primo præcipuèq; Iudæis, non ijs tamen solis, verum omnibus qui in se credituri erant, exhibuit? præter hanc fidelitatem, amoremq; omnibus communem, huic Iudæorum genti peculiarem aliam adhuc exhibuit, qui hanc gentem electione sibi adoptauerat singulari, quare ab hostibus, ab oppressione, à gladio, à peste, à fame, à calamitatibus, à captiuitatibus denique hostium multis & seruitute liberauit: idq; sæpenumero & potenti manu, & mira virtute, ac per signa prodigiaq; terribilia, eorum opprimens aduersarios, delensq; vsque ad internecionem. Quid dicam? Sicubi essent qui vel tempore futuro in hanc essent gentem suam officium humanitatis collaturi, tametsi alienigenæ forent, ceu pro munere beneuolentiæ, quamuis nondum præstitæ, sed aliquando præstandæ, multo ante illos vita, salute, potentia, gloriaq; condonauit: ostendens quanti suam faceret gentem,

Fidelitas Christi quanta.

Genes 3.

Ioan. 1.

Exod. 11. 12. Iudic. 4. 7. Iudith. 13.

cuius